DE

TYPHO ABDOMINALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVII. M. MARTII MDCCCXLII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ROBERT. ROM. CZAJKOWSKI
GALICIANUS.

OPPONENTIBUS:
J. T. CYPSER, med. et chir. Dr.
M. NIESZCZOTTA, med. et chir. Dr.
J. GRODNICKI, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO

JOAN. CH. SCHINDLER,

S. THEOLOGIAE, UTRIUSQUE JURIS, ARTIUM LIBERALIUM ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, PRINCIPI SENATUS REGNANTIS REI PUBLICAE CRACOVIENSIS, PRAELATO DOMESTICO, SANCTITATIS PAPAE ROMANI, CANONICO GREMIALI CRACOVIENSI, MULTARUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SUMMA QUA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Morborum generis humani graviorum tristes series perlustrantes, inimicos invenimus, nulla expellendos vi, instrumento subigendos nullo, nullis armis enecandos. Una cum stirpe humana nati, adhuc nunquam ab ea discessere, in omnes eam terrarum angulos comitati sunt, sic ut, si nihil amplius genus humanum afficeret, jam hi vitam insuavissimam reddere sufficerent. Cujus generis morbum, lugubres illas et insignes generi humano inferentem strages, plurimasque victimas non tam quia longe lateque pateat, quam malignitate sua deposcentem, typhum abdominalem (Pommer), typhum gangliosum (Autenrieth), dothienenteritidem (Brétoneau), ileotyphum (Eisenmann), fièvre enteromesenterique (Pinel), exantheme intestinal (Andral), ileoylidite (Bally), enterite folliculeuse aliorum — summi momenti nunc medicae praxeos rem, paginis sequentibus tractare proposui. Quamquam enim novis rebus studere, scientiaeque imperium amplificare medici est cujusque, tamen, quum mihi adhuc non contigerit, ut nova de illo morbo referre possim, ea, quae alii de hoc protulerunt, in unum colligere, propriisque observationibus illustrare, operae pretium censeo.

HISTORIA.

Plurimi, qui de morbo nostro sunt commentati, recentioribus temporibus natum eum esse affirmant (1), quum ipsis clades, quibus genus humanum a primis cunis angitur, ad perfectam calamitatem nondum sufficerent; sin vero canam jam antiquitatem perscrutamur, etiamsi umbrae speciem, vestigia tamen non delenda, non dixerim totius imaginis hujus morbi, sed exulcerationis viscerum, principis autopsiae symptomatis, deprehendimus. Jam in scriptis Hippocratis, Celsi, Galeni, Aëtii et Avicennae saepius mentio de ulceribus fit intestinorum, quod malum universim dysenteriae nomine, sed ampliori sensu, quam nobis haec vox patet, insignitur. Exulceratio haec variis in locis tractus intestinalis observabatur. Coelius Aurelianus (2) haecce de eadem re facit verba: „Exulceratio oritur in intestinis tenuibus, in pyloro, jejuno, coeco, aut in crassis, in colo et recto.“ Similia allata legens possit opinari, veteres hanc persuasionem, quacum de ulceribus intestinorum narrant, ope autopsiae adeptos fuisse, quod tamen nequaquam verum foret: cuilibet enim notum est, autopsiam antiquis medicis et rarissimam et imperfectam fuisse; nobis autem hic sine ulteriori investi-

---

(1) Dr. Wentzke, der Abdominal-Typhus. Breslau, 1836. pag. 5.

„Der Abdominal-Typhus ist eine neue Krankheit, denn in den Schriften älterer Aerzte findet man keine Spur davon.“

(2) De morbis acutis et chronicis. editio Ammon. L. 8. Amstelod. 1755.

gatione, num ex vera dissectione cadaverum, an ex dolore aegrotorum, aut illorum excretis illam conjecturam fecerint, sufficit demonstratio, opinionem de ulceribus intestinorum antiquis temporibus universim divulgatam fuisse.

Quae opinio usque ad aetatem Sydenhami tenebatur, qui una cum Willi ulcera intestinorum negabat; heros ille atque sui aevi exemplar medicorum, Sydenham dico, auctoritate tantum sua hanc sententiam debilitavit, plurimi enim ipsius aequales, anatomae operam navantes, ulcera invenerunt, uti Jacobus Fontanus (1), Bonnetus (2), Tulpius (3), Bass (4), Fantonus (5), Morgagni (6).

Röderer et Wachler Gottingae et Sarcone Neapoli differentiam exanthematum in membrana mucosa intestinorum, et mutationes in sic dictis febribus pituitosis usque ad evidentiam constituebant; at haec omnia nosologiae typhi abdominalis nequaquam proderant, etsi Louis in typho anno MDCCLXVII epidemice grassante exulcerationem viscerum inveniebat, observationesque suas eodem anno (7) edebat.

---

(1) J. Fontani Sommaxitani primarii medici opera. Coloniae Allobrogum 1612. p. 180.

(2) Bonnetus, Sepulchretum sive anatomia practica etc. Genevae, 1679. p. 853.

(3) Tulpius, Observationes medicae. Editio nov. Amstelod. 1685. p. 205.

(4) Bass, Observationes anatomico-chirurgico-medicae. Halae, 1731. p. 135.

(5) Fantonus, Opera medica. Genevae, 1738. p. 201.

(6) Morgagni, Lugd. Batav. 1767. T. III. p. 42.

(7) Louis, Mémoires de l'acad. royale de médicine. 1767.

Morbus tamen, tam evidens substratum materiale offerens, ob consensualem affectionem systematis nervosi, universo nomine febris nervosa, febris maligna nuncupabatur, aut pro complicatione typhi cum dysenteria habebatur, ut nos egregia hujus rei descriptio Hildebrandi (1) docet, quam melioris conspectus causa hic verbo tenus refero: „Dysenteria castrensis jam per se sola dirissimum ac summe rebelle constituit mali genus, quod tanto majorem letalitatis gradum contrahit, si typhosa simul concurrit. Exceptis primis copulae fatalis momentis, in quibus ipsa dysenteria, ceu catarrhus intestinalis, plus minusve manifestis stipatur irritationis inflammatoriae signis, non solum ad stimulantia diffusibilia, sed etiam ad tonica et visceralia melioris notae erit recurrendum, quae inter cortex Simarubae, radix Arnicae et Columbo principatum tenent. Opium, quod in typho generatim minus quadrat, sub ejusmodi rerum positione, nullo alio suppleri poterit praesidio, praesertim refractis Ipecacuanhae vel Aluminis dosibus commixtum. Clysteres mucilaginosi cum vitello ovi et opio, vel etiam cum Terebinthina subacta parca quantitate, ast frequentius injecti, bonum praestant effectum. Haud indifferens denique emolumentum experti sumus a lotionibus et perfusionibus frigidis, quibus solis interdum pertinacem cutis ariditatem, utriusque morbi scaturiginem principalem, vincere licuit. Quod si omnibus hisce remediis salus restitui nequit, atque devicto etiam typho continuus existit alvi fluxus, cum macie corporis, pessimaque excrementorum qualitate

---

(1) Val. Hildebrand, Institut. pract. med. Viennae, 1833. T. II. p. 450.

in dies crescente, de insanabili intestinorum exulceratione suspicandum, quam in plurium hacce clade defunctorum cadaveribus consulto rimatis invenimus.“ Omnis medicorum hodie haec relata legens, abstracta idea complicationis, descriptionem typhi abdominalis ante oculos habebit.

Novissimis demum temporibus theoria Broussais ad accuratiorem membranae mucosae tractus intestinalis explorationem plurimum coacti, jam exquisitiorem descriptionem ulcerum intestinorum typho defunctorum in scriptis Cloquet (1), Billard (2), Andral (3), Abercrombie (4) invenimus. Herett (5) saepissime rimatis cadaveribus exulcerationem membranae mucosae intestinorum observavit, sed opinio ei erat, has a secunda ad quartam septimanam morbi incipere, illis alium statum morbosum anteire, et perforationibus intestinorum nonnunquam sese offerentibus, causam potius alienationis alicujus quam exulcerationis statuit.

Neumann (6) in plurimis febri nervosa sporadica defunctis in intestinis tenuibus, praecipue ad illum et val-

---

(1) Cloquet, Observations sur les ulcerations des intestins. nouv. Journ. de med. chir. 1818. Fevr.

(2) Billard, de la membrane muqueuse gastro-intest. dans l'état saint et inflammat. 1823.

(3) Andral, Clinique médicale. T. III. Maladies de l'abdomen. Paris, 1830.

(4) Abercrombie, Patholog. u. prakt. Untersuchungen über die Krankheiten des Magens, des Darmkanals etc. Deutsch von G. v. d. Busch. Bremen, 1830.

(5) Herett, Lon. med. and. phys. Journ. New Series V. 826.

(6) Neumann, Ueber Darmgeschwüre in typhös. Fiebern. Hufel. Journ. 1827. März.

vulam Bauhini loca circumscripte inflammata, exulcerata aut sphacelosa inveniebat; quum autem non omnis autopsia hac clade defunctorum similes characteres offerret, opinabatur, scaturiginem morbi illos nequaquam sistere.

Verum meritum ob nosologiam typhi abdominalis omni jure primum Pommero (1) debetur, qui ex autopsia 1817—1821 instituta conjecturam fecit, typho sporadico semper alienationem exanthematicam verucarum forma in mucosa intestinorum subesse, quas observationes anno 1821 divulgavit, quibus demum complures ad accuratiorem perscrutationem tractus alimentaris compulsi, ad hanc evidentiam rem perduxerunt, quam hodie nosologia hujus morbi nobis offert.

Hoc tempore autem Schoenleinio maximae tribuenda sunt laudes, quippe qui celebrato ingenii sui acumine, morbos typhosos egregium in modum tractaret; dolendum tamen est, ex ipsius observationibus cum summo detrimento omnium aequalium medicorum, et totius generis humani patientis, nondum quidquam publici juris factum esse, sic ut laboribus hujus celeberrimi viri hodieque tantum auditores ejus gaudeant.

ANATOME PATHOLOGICA.

Qui theoriam a Broussais promulgatam summam colunt, in membrana mucosa intestinorum alienata nil nisi phlogosin puram fuisse affirmant, morbique causam hancce solam accusant; et quum de signorum nervosorum causa

(1) Pommer, Beiträge zur näheren Kenntniss des sporad. Typhus. Tübingen, 1821.

proxima eos interroges, rationes gangliorum abdominalium sympathicas tibi proferunt. Id autem ne tironem quidem physiologiae parum peritum fugere potest, phlogosin intestinorum puram, materia specifica non inquinatam, a symptomatibus typhi abdominalis maxime abhorrere. Jam vero ii, qui illam proferunt theoriam, phlogosin intestinorum describentes, morbum nostrum eo solo ab illo differre aliis persuadent, quod in typho glandulae Peyerianae, quas ne anatome quidem normalis adhuc bene cognovit, in enteritide sola membrana mucosa inflammatione laboret.

Causa mutationum omnium illarum, quae in intestinis inveniantur, phlogosis pura minime putanda est, sed specifica quaedam esse videtur. Schönlein, Eisenmann, Fuchs, Jahn, Andral, alii exanthemata in intestinis oriri affirmant, et mutationes aeque ac exanthemata cutis describunt. Attamen nec in exanthemate summa valetudinis versatur, sed in sanguine intoxicato, cujus symptoma solum est membrana mucosa degenerata, sicuti in morbillis, in scarlatina, in multis aliis morbis cutis, exanthemata ipsa nil nisi humores acrimonia aliqua inquinatos demonstrant. Itaque fit, ut homines multi morbo nostro ante exanthema ipsum exulceratum diem obeant supremum; nec vero non accidit, ut venenum illud typhosum aegrotos multo prius trucidet, quam organismus id ejicere possit conari. Sed ad thema propositum redeamus. Mutationes, morbo typhoso effectas in multis corporis partibus bene animadvertimus. In parte inferiori intestinorum tenuium ante valvulam illam mucosam, quae crassum ab illo separat, die morbi tertio aut quarto eruptio oritur, quae raro valvulam transgreditur, et tunc fines coli adscendentis nunquam transit.

Affectio prima glandulas Peyerianas occupat, quae circiter tertium vel quartum diem (stadium primum) intumescunt, et ita quidem, ut volumen earum duplo aut triplo augeatur; tumor autem ipse vasis sanguiferis in tela illa cellulosa, quae inter mucosam et cellularem interest, recens formatis, fungi instar efficitur. Villi finitimi elongantur, intumescunt, inque eorum apice haud longum tempus posthac sanguis exsudatur, qui exsiccatus escharam variae formae ac magnitudinis conformat. Eadem exsudatio sanguinis, et quae eam sequitur exsiccatio et escharae conformatio in vasis illis recens formatis observatur. Quodsi crustae gangraenosae partes membranarum sanas, sicuti corpus alienum irritent, inflammatio circa septimum aut octavum diem (stad. secund.) exoriatur, necesse est, cujus secretum puriforme juncturam escharae emollit, itaque eam ipsam separat et propellit. Crustis autem expulsis ulcus specificum relinquitur, (stad. tertium) cujus basis in casu benigno tunica muscularis, in pejori autem serosa intestini est. Ulcera primo margines inaequales, serratos, sinuosos praebent; dein margines cum basi concrescunt, et inde a peripheria in centrum locupletatio (stad. reconval.) progreditur, ita autem, ut cicatrix certae cujusdam formae restet: margines enim fundum superant, color a membrana mucosa sana abhorret, villis saepenumero omnino caret, et maximam similitudinem cum serosa offert.

Gluge (1) tam accurate rem arduam descripsit, ut ad verbum relata afferam, praesertim quum multis fortasse

---

(1) Abhandlungen zur Physiologie und Pathologie. Jena 1841.

disquisitiones illae nuperrime in lucem editae nondum innotuerint.

Erster Fall. „Die Villositäten in der Nähe der Geschwüre sind ohne Epithelium und scheinen aus einer körnigen Masse zu bestehen, spalten sich zuweilen, zuweilen lösen sich Villositäten und Schleimhaut ganz auf. Die Geschwürsfläche der Peyer'schen Drüsen besteht aus vielen sehr kleinen Kügelchen, die mit einer körnigen Masse gemischt sind, aus rundlichen, kernhaltigen Zellen und Eiterkügelchen. In der Tiefe der Geschwüre zeigt die wallartig erhabene Peyer'sche Drüse eine festere, einförmige amorphe Masse. An der Drüse sind netzförmige Verzweigungen angelagert, deren Natur mir unbekannt ist (vergrösserte Chylusgefässe?)."

Zweiter Fall. „Ein Mann, der 14 Tage am Typhus gelitten, fällt plötzlich todt hin. Der Dünndarm ist blutig, mit Coagulum gefüllt durch einen Blutfluss der Darmschleimhaut. Tiefe Ulcerationen im Ileum. Das Blut im Herzen gleichförmig, die Blutkügelchen haben schon ihren Farbstoff abgegeben, keine bestimmte Form derselben mehr erkennbar, Krystalle haben sich schon gebildet, der Faserstoff ist mehr körnig. Das Gehirn zeigt die schon oft von mir im Typhus beobachteten Veränderungen, dass selbst in der weissen Substanz die Gehirnröhren, ungeachtet aller Vorsicht der Präparation, nicht mehr erkennbar sind. Das Gehirn war dabei noch ganz consistent. Die Ganglien und der sympathische Nerv zeigten keine Veränderung, und seine Nervenkanäle sind wohl erhalten."

Dritter Fall. „Heilende Typhus-Geschwüre. Die Ränder sind flach und mit einer schwärzlichen weichen Masse umgeben. Der Grund ist mit kleinen Körnchen

besetzt und eben, mit blossem Auge betrachtet. Unter dem Microscop erscheint die schwarze Masse aus Pigmentkörpern wie in der Dysenterie bestehend, der Grund aus parallelen cylindrischen Fasern, von denen es mir ungewiss, ob sie neugebildet, oder der Muskelhaut angehören. In diesem letzten Falle würde die Heilung des Gechwürs durch Verschwinden der Peyerschen Drüse und Ablagerung von Faserstoff vor sich gehen."

„Zahlreiche Fälle von Typhus untersucht, gaben folgende Resultate:

„Die Veränderung des Blutes im Typhus ist keine constante Erscheinung; so habe ich in diesem Augenblicke zwei Beobachtungen von Sectionen am Typhus Verstorbener vor mir, wo in dem einem Falle das Herz mit Blutcoagulum gefüllt, die Blutkörperchen wohl erhalten, in dem andern gar kein Coagulum und der Farbstoff der Blutkörper aufgelöst ist."

„Das Blut vom Nasenbluten eines am Typhus Leidenden zeigte Coagulation, die Blutkügelchen wohl erhalten (also Ruptur der Capillargefässe), aber ihr Kern undeutlich, der Faserstoff körnig, kleinfaserig."

„Das Blut stockt zuweilen in den Lungen, und bringt dort eine nicht entzündliche Anschoppung, wahrscheinlich durch Infiltration des flüssigen Bluts, hervor. Ihre Verwechslung mit der entzündlichen Anschoppung kann dem Kranken gefährlich werden, und die Diagnose dieser beiden Zustände ist noch zu geben."

Analysis chemica sanguinis typhosi luculentissime demonstrat, eum valde esse mutatum, quod aut causa, aut effectus morbi, potest esse. Albumen, fibrina, haematosina neque non salia minuuntur, ita ut pondus specificum san-

guinis mirabilem in modum decrescat. Pondus sanguinis specificum in organismo normali est = 1,0527 — 1,057, in typho usque ad 1,046 — 1,042. diminuitur.

Reid Clanny analyses comparantes multas instituit et hocce systema retulit:

Partes sanguinis.	Sani	Typhosi Stad. I.	Typhosi Stad. II.	Typhosi Stad. III.
Aqua	678	729	772	732
Haematosina	160	136	122	130
Albumen	121	98	75	101
Fibrina	28	25	22	26
Sal	13	12	9	11
	1000	1000	1000	1000

Quod ad anaemiam attinet universalem, quam autores quidam in typhosis semper adesse affirmant, Dobler et Scoda haecce referunt:

„Grosser Mangel des Bluts findet sich jederzeit in den Leichen der an Ganglientyphus Verstorbenen, nur ist dieser Blutmangel nicht so auffallend bei sehr robusten Individuen, die gleich Anfangs der Krankheit sterben."

Ganglia nervi sympathici abdominalia, nec non plexus nervosi abdominales, si autores nonnullos sequimur, sanguine interdum tument, ecchymoses praebent, consistentia justo duriore gaudent.

Quum de analysi materiarum typhosarum nunc sit sermo, haud ineptum videtur de excrementis typhi propriis disserere. Sedes si non turbantur, certe in partem flocculosam, membranosam et in fluidum serosum sponte separantur. Pars membranosa magnam albuminis quantitatem, fibrinae minorem, et praeterea calcar. phosphor. gelatinam

continet, serum flavum aut ex flavo viride, aquam, salia sanguinis normalia et albumen in eo solutum praebet. Schoenlein crystallos in sedibus reperit; alii gasa libera in vasis sanguiferis inveniri ajunt, nec vero non in tunica pulmonum et hepatis serosa. Gasa illa analysi chemica nondum denominata sunt; autoribus illis autem consentaneum videtur, ea ex cyano, acido carbonico, gase hydrosulphurato et hydrophosphorato componi.

AETIOLOGIA.

Causae internae. Inter causas praedisponentes aetas haud injuria nominatur; morbus enim pueros et senes raro ingreditur, annosque juveniles et viriles prae omnibus amare videtur. Porro viros feminis anteponit. Constitutio equidem minus influit, quum ipse debiles, Venere et Baccho exhaustos pariter ac fortes et firmos morbo exstinctos cognoverim.

Causae externae. Morbus ex aëris quibusdam mutationibus haud dubie originem ducit. Prae omnibus autem ille aëris status accusandus videtur, qui malaria palustris nominatur. Humores et effluvia animalia in aëre suspensa originem potissimum juvant, et quum calore atmosphaerico florente illa quoque vireant, facile intelligitur, typhum autumnali, vernali, aestivo tempore potius, quam hiberno regnare. Attamen cibus et potus quoque in morbi genesin gravissime influunt. Aqua stagnans, organismis vegetabilibus et animalibus scatens, alimenta putrida, caro morbida, ad morbum recipiendum, aut optime homines praeparant, aut per se ipsa illum gignunt.

Morbus hoc modo generatione aequivoca, ut ita di-

cam, exortus etiam per contagium propagatur, quod fixae esse indolis, uti ajunt, et in excrementis potissime inhaerere videtur.

Contagium in corpus humanum receptum incubationis stadium in singulis diversum percurrit, ita ut in aliis intra sex vel octo dies, in aliis intra duodecim vel quatuordecim dies morbus appareat.

SYMPTOMATA.

Stadium prodromorum in multis aegrotis animadvertitur; lassitudinem, defatigationem artuum, somnum minime tranquillum, somniis terribilibus turbatum, appetitum ciborum deficientem, sitim adauctam, nonnunquam et diarrhoeas nocturnas accusant.

Stadium primum seu irritationis.

Aegroti lassitudine, tremore, debilitate artuum totiusque corporis afficiuntur, vertigo, dolores in capite obtusi ingressum omnino impediunt, susurrus aurium, agrypnia vexant. Linguam praebent obductam, aut muco solo, aut cum materia biliosa, sordida mixto. Gustus aut amarus aut insipidus; vomituritiones non desunt, vomitus interdum animadvertitur. Dolor in regione iliaca dextra semper percipitur, et eruptionem exanthematis in propinquo esse monstrat; saepe fit, ut sponte ab aegrotis non sentiatur, tunc autem regione illa pressa statim accusatur. Dein tertio vel quarto die rhonchus ille in intestino coeco proprius percipitur, quem Schoenlein cum motu crassioris fluidi cum gasis mixti comparat („als wenn eine dicke,

mit Gas gemengte Flüssigkeit sich im Darme hin- und herbewege"). Alvus aegrotis obstipata, constricta, ac perraro fit, ut diarrhoea vexentur; tertio vel quarto die intrare solet diarrhoea, quae, quod ad numerum spectat, apud varios aegrotos valde differt, ita ut in aliis VI—X, in aliis III—IV intra viginti quatuor horas numerentur. Deponitur autem mucus aquosus, pigmento plus minusque tinctus, in quo (diarrhoea incipiente) epithelium solum intestinorum invenitur. In iis, quibus membrana mucosa respiratoria jam antea violata erat, jam in hoc ipso stadio morbus typhosus organa respiratoria ingreditur.

Reactio febrilis, si morbus ad normam decurrit, in hoc stadio gradum illum, quem Schoenlein erethismum vocat, transgredi non solet. Horrorem calor sequitur continens, qui vespertino tempore mordax in nonnullis evadit. Arteriarum pulsus frequentiores, sed pleni, magni, molles; urina opaca, in aliis inflammatoria, in aliis pigmento bilioso tincta. Remissiones matutinae, exiguae, exacerbationes vespertinae graviores.

Stadium secundum.

Haecce symptomata ab invasione horroris ad diem septimum usque observantur; dein crises cutaneae, urinariae, haemorrhagicae in propinquo esse videntur: cutis aperiri, urina sedimento ornari, stillicidium e naribus cerebrum relevare incipit, ita ut morbum jam esse finitum potissime credas. Vespere autem aegrotus delirat, et adeo quidem, ut cum se ipso blande colloquatur, lectulum relinquere conetur, sermones aliorum non recte intelligat, neque alia nisi se ipsum curet. Linguam, si fortiter jube-

tur, propellit siccam, strato ex flavo nigricante obductam tenui; gingiva sicca, sordida, eodemque strato induta, quod decompositionem aëris exspirati fortasse causam exhibet. Nares eodem modo obstipantur, ita ut respiratio stertorosa facile exoriatur, quae velum palatinum, voluntate libera directum nulla, aëreque exspirato facillime motam causam pro certo accusat. Abdomen inflatum, rhonchus coecalis percipitur, regione iliaca dextra pressa aegroti musculos faciei (dolore minimo facile perterrendos) convellunt. Ceterum stupore occupati esse solent, ita ut inscii (et propter vires deficientes involuntarie) alvum deponant, cibum nullum appetant, urinam mittere obliviscantur. Diarrhoeae continent, materiae autem, quas jam supra descripsi, excernuntur. Pulsuum crescit frequentia (CX—CXX, ictus, exacerbatione vespertina virente), tonus autem arteriarum, cordisque energia minuta pulsum parvum, mollem, facile comprimendum efficiunt. Cutem calor mordet, electricitate fortasse negativa evoluta, sicca permanet, corrugatur.

Stadium tertium seu criseos.

Duabus hebdomadibus praeterlapsis nova exoritur symptomatum series, quibus nomen activorum a pluribus vindicatur autoribus. Turget cutis, portaeque, quae dicuntur, aperiuntur, secernitur sudor per totam corporis superficiem aequalis, calidus, urina turbida sedimentis spissis, mucosis, haud raro purulentis liberatur. Pulsuum minuitur frequentia; augetur energia, lingua madescere incipit, deliriis oblitis, animi restauratur tranquillitas, somnoque tranquillo aegroti reficiuntur, ita ut conscientiam omnino recipiant.

Quodsi hoc modo ex Orci faucibus aeger revertitur, stadia praeterea duo percurrat necesse est, quorum periculis numerosis multi trucidantur; stadium dico ulcerum sanandorum, et convalescentiam ipsam.

Stadium ulcerum sanandorum.

Crustis ulcerum jam antea expulsis, suppurationeque eorum vigente, hecticam recipere solet febris indolem. Matutino tempore omnino libero, vespertinae remanent exacerbationes, quas sudores nocturni haud raro comitantur. Regio iliocoecalis pressa dolores ciet, neque diarrhoea omnis cessat. Gingiva, lingua, nares induto sordido liberantur. Quodsi nulla in tubum intestinalem nunc influit potentia nociva, membrana mucosa locupletatione ulcera obtegit, et cicatrices illae formantur, quas jam supra descripsi. Id autem per se ipsum intelligitur, stadium hocce ulcerum reficiendorum in variis aegrotis vario tempore determinari, quum non solum e constitutione et viribus aegroti, sed e numero etiam et ulcerum volumine pendeat. Ulceribus sanatis in

Convalescentiam

init aegrotus, quae ab aliorum morborum fine non tam differt, ut descriptione propria sit digna. Id autem commemorandum est, desquamationem cutis in hocce stadio apud multos aegros animadverti, et ungues et capillos a multis dejici.

ANOMALIAE.

Supra descripto modo morbus, si ad normam decurrit, progreditur. Perraro autem aegrotorum constitutio, aëris genus, medicorum auxilia aliaque decursum non mutant; sed tantopere ex hisce rationibus pendet decursus, ut raro in diversis aegrotis idem inveniatur.

Maximas autem febris indoles praebet differentias, quippe quae (virium umbra,) aeque ac constitutiones virium in singulis aegrotis, varia sit necesse est.

Invenitur febris inflammatoria (quam equidem ipse in multis aegrotis, constitutione firma, sanguinis copia gaudentibus persaepe vidi), illa quidem in primo potius stadio obvia, sed in secundo etiam non rara avis appellanda.

Haud raro fit, ut febris ex primordio asthenicam accipiat indolem, qua brevi post aegroti pereunt. Facies hippocratica primis ipsis diebus, extremitatum frigus, pulsus frequentissimus ille quidem, sed parvus, debilis, filiformis, facillime comprimendus, sub finem evanescens, abdomen spasmis contractum spem omnem exstinguunt, et prognosin semper pessimam sistunt.

Alia denique commemoranda est febris differentia, difficile dignoscenda, indolem dico ejus intermittentem; ad tertium usque stadium aegroti vespertino solo tempore febricitant, horis antemeridianis omnino afebriles inveniuntur; die autem decimo quarto, aut decimo septimo, aut vigesimo primo, quibus crises solent intrare, orgasmus sanguinis exoritur saepissime, aegrotique brevi post exsudationibus in cerebro exortis diem obeunt supremum.

Mutatur quoque morbi facies ac decursus, si aliorum

organorum cum eo miscentur affectiones locales. Id autem duplici modo fieri potest: si morbus typhosus aegrotos invadit, quibus jam dudum organon quoddam fuerit laesum, tunc characterem typhosum recipit morbus ille primarius; aut si organon adest, quod locus minoris resistentiae in aegroto jam antea fuerit, tunc orgasmus sanguinis, in primo typhi stadio normalis, organon illud inflammat, et quum sanguinis adsit alienatio nervosique systematis debilitas atque, ut ita dicam, insufficientia, phlogosis typhosa, asthenica, maxime deploranda exoritur, qua, si organon affectum primas corporis partes obtinet, brevi organismus interficitur. Quod in omnibus organis fieri posse, facile elucet. Saepissime autem complicationes cum pulmonum, hepatis, cerebri affectionibus inveniuntur, quum organa ista in plurimis aegrotis aut jam antea morbo aliquo laborarint, aut in omnibus loci minoris resistentiae exstiterint. Attamen haece equidem complicationes non minus ex morbi typhosi in diversis origine diversa, deducendae sunt. In iis enim, quibus cibi putridi, aut aqua stagnans morbum effecerit, hepar facillime afficiatur necesse est, quum in iis, qui aëre deperdito, aut gasis excrementorum typhosis inspiratis morbum genuerint, pulmones imprimis laborent.

Quodsi hepar in circulum illum lethalem trahitur, symptomata hepatitidis cum typho se miscent, ita ut typhi illa species componatur, quae typhus icterodes a nonnullis autoribus nominatur.

Cerebri affectiones graviores sensorio omnino depresso, stupore nulla re expellendo, aliisque symptomatibus nervosis declarantur. Hancce morbi speciem Petrus Frank febrem nervosam stupidam appellavit.

Signis typhosis (ut ita dicam) puris, certis quibusdam conditionibus datis, symptomata sanguinis dissoluti et putridi se jungunt, quod in stadio secundo frequentius invenitur, quam in primo. Haecce tunc percipiuntur phaenomena:

E vasis capillaribus in telam cellulosam, imprimis subcutaneam, sanguis exsudatur tenuis, decolor, primo sub forma macularum parvarum (quae petechiae spuriae nominantur), dein vibices conformat. Quum eadem in membranis mucosis eveniant, quae epithelio solo tenui, neque epidermidi comparando obtegantur, necesse est, ut integumenta illa subtilia sanguinis effusi copia celeriter dirumpantur, sanguis autem vinculis omnibus liberatus e vasis prorumpat: itaque e naribus destillat, e faucibus ejicitur, ex alvo deponitur sanguis, qui easdem praebet qualitates, ac vibicum et petechiarum fluidum sanguinolentum. Jam vero cum urina sanguis dissolutus excernitur, quo fit, ut illius color in rubrum, fuscum, nigrum mutetur. — Haece sanguinis extravasationes aut acrimoniam sanguinis causam accusant talem, ut vasorum parietes corrodantur, itaque sanguinem emittant (per diabrosin, quae vocatur); aut tanta adest sanguinis fluiditas, ut parietibus vasorum omnino integris et salvis per poros subtilissimos penetret; aut vasorum parietes primarie tantopere morbo afficiuntur, ut putredine locali, partiali ipsi corripiantur, praesertim quum nutritio eorum pariter, ut aliarum partium omnium extincta fere sit. Quum disquisitiones microscopicae subtiliores de hac re nondum exstent, de causa vera exclusive nihil potest definiri; omnes fortasse confluunt et causae aestimandae sunt. Miror equidem, quod hancce rem gravissimam nemo dum tractaverit. Morbi hanc spe-

ciem putridam medici superiores febrem putridam nominarunt.

EXITUS MORBI.

Si in convalescentiam exit morbus, in epidemiis nonnullis cutaneae crises supplementares in miliaribus, furunculis eveniunt. Ceterum in parotide haud raro morbi sagittae omnes confluunt, ita ut parotitis critica oboriatur, qua morbi pericula multo diminuuntur et saepe finiuntur. Praeclarissimum hujus rei exemplar in caritatis nosocomio Berolinensi observavi: aegrotus, stupore jam oppressus, ita sese habuit, ut actum jam de eo esse omnes crederent; tunc parotidis regio intumuit, pressaque dolores movit, quos primo aegrotus convulsionibus musculorum faciei, dein suspiriis, et verbis denique expressit, qua re ipsa cum omnium gaudio atque admiratione luculentissime demonstrabatur, sensorium magis magisque illustrari, morbumque universalem in localem mutari. Remediis exiguis porrectis, intra paucos dies vita jam fere fugata talis revertebatur, ut nullo fere morbo laborare aegrotus videretur. Equidem de eo maxime admirabar, quod ante suppurationem ipsam vis parotidis illius salutaris, critica, tam perfecta evadebat.

Si alii se cum typho abdominali conjungunt morbi, exitum exoptatum perraro observamus; residua remanent, quae aut hoc ipso tempore, aut postea aegrotos interimunt; verum enim vero ex typho abdominali purissimo, morbo acuto ipso jam extincto, nova generantur pericula.

Alvus diarrhoeis tam relaxata exhaustaque, ut vitam, quam vocant, minimam agat, et torpore, ut ita di-

cam, stupido afflicta, strenue constringitur, ciborumque minuitur appetitus, quo per longum tempus convalescentia trahitur, atriaque periculis nova aperiuntur.

Non raro fit, ut diarrhoeae serosae pertinaces resideant, quibus aeque atque obstructione alvi aegroti debilitantur, et grave percurrunt convalescentiae stadium.

Si alia sanguinis dyscrasia vel cacochymia in aegrotis ante typhi invasionem jam adfuit, aut si regimen ulcerum intestinalium granulationes perturbat, specificam facillime indolem ulcera recipiunt, et phthisis intestinorum exoritur, quae eo citius aegrotos interficit, quo majorem intestinorum tenuium partem occupet, quum morbo illi et major sanguinis copia in tenuibus quam in crassis affluat, et tenuium functio laesa gravioris sit momenti quam crassorum.

Aequo modo fit, ut organa respirationi inservientia phthisi ulcerosa corripiantur, quod in larynge et trachea frequentius inveniri constat, quam in pulmonibus ipsis; hujusce phthiseos ortum blenorrhoeae, jam antea aegrotos vexantes, optime juvant.

Sunt etiam, quibus typhus abdominalis surditatem, amaurosim, aliosque organorum sensualium morbos reliquerit.

In mortem exiit morbus in plurimis aegris. Id autem et e medicina et e morbo insidioso ipso pendet. Natura ejus tam incognita (non artis professores equidem, sed ars ipsa accusanda est), ut therapiam omnino physiologicam adhuc nesciamus. Congeritur farrago medicaminum, congeruntur de curae ratione hypotheses, omnesque in usum vocantur corporis et animi facultates, neque morbus terribilis, generis humani hostis nunc acerrimus profligatur, ne mitigatur quidem.

Diem obeunt supremum patientes vario in singulis stadiis modo. Si tantus in primo stadio adest sanguinis orgasmus, ut cerebrum undique sanguine scateat, haud raro omnino obruitur, exsudatis variis premitur, morbusque primarius typhosus morbo inflammatorio cerebri finitur. Idem in pulmonibus fieri solet, praesertim si dispositio jam antea adfuerit: ita equidem juvenes firmissimos, pneumonia asthenica, typhosa affectos, paucis diebus post morbi initium cadavera inveni.

In stadio secundo multae confluunt causae, quae mortem celerrime attrahant: organismus febri saeva jam exhaustus, diarrhoea vexatur crudeli, quae humorum albuminosorum copiam permagnam ei detrahit; itaque per duo intrat atria hostis, armisque duplicibus eodem pugnat tempore, ne de eo dicam, quod ad actionem sanguinis intoxicati in organa nervosa lethalem pertineat; has ob causas hujus inprimis stadii plurima dissecantur cadavera.

Signa mortis typhosae describere haud operae pretium videtur, quum cum aliis morbis nervosis omnino fere congruat.

Singularis morbique nostri propria mortis causa in diabrosi, perforatione intestinorum, ulceribus effecta, versatur, qua exorta peritonitis specifica, semper illa lethalis, non evitanda est.

Ceterum morbi illi, quos typhus abdominalis saepe relinquit, causae mortis accusandi sunt.

PROGNOSIS.

Deducenda est prognosis et a morbo per se, quod dicitur, et ab aegroto. Jam supra commemoravi, typhum

abdominalem morbum esse plerisque lethalem, causasque eodem loco attuli. Ceterum ex complicatione, ex febris charactere, ex constitutione aegri, aut prioribus morbis debilitati, aut robusti, ex morbi intensitate pendet fatum. Plus autem, quam omnia haecce in morbi exitum influit medicina. Eo meliorem sibi sistat medicus prognosin, quo minus medicamentis aegrotum obruat. Quum theoriae de morbo nostro extent variae, experimenta plura quam curae instituuntur: itaque morbi prognosis dubia statuenda est, donec certa atque vera de ejus natura theoremata physiologicam docebunt therapiam.

CURA.

De sanando hoc morbo tam periculoso et celebratissimi inter se hucusque discrepant medici. Alii enim armis atrocibus atrocitatem fugandam; alii vero hostem, ne supra limites transeat, modo observandum esse existimant. Equidem etiamsi meam opinionem in lite difficillime dijudicanda nullius momenti esse non ignorem, hisce consentio, qui methodum exspectativam obruendi aegrotos magna farragine medicamentorum rationi anteponunt.

Quod prophylaxin attinet, quum hucusque morbi contagium plerumque sedibus exhalationibusque aegrotantis affixum esse sciamus, ad praecavendam contagii propagationem, quam celerrime alvi excreta amovere, exhalationesque aqua chlorina, carbone bene pulverato, fumigationibus cum aceto muriatico, saepiusque aëre redintegrato exstinguere conemur.

Contagium a corpore nihilominus receptum in stadio prodromorum porrectis emeticis, postea sudoriferis et

postremo clysmatibus cum aliquot granis argenti nitrici, tentemus e corpore eliminare; horripilatione autem exorta, spem abortus morbi nequaquam alere et decursum perturbare licet, rarissime enim conaminibus die septimo criticis morbus terminatur.

In primo morbi stadio febris, quae persaepe sthenica esse solet, summa ratio habenda est; ad hunc finem venaesectio, praecipue quum febris cum charactere hypersthenico incedit, atque aegroti aetas florida, corporis habitus bonus, temperamentumque sanguineum contingunt, primum et princeps remedium esse debet. Sanguinis quantitas autem pro febris intensitate designetur, refutanda omnino Gallorum methodo, qui sine exceptione in initio morbi audacissimas et saepissime repetitas depletiones sanguinis instituunt, qua ratione rarissime febris temperatur, sed semper character asthenicus acceleratur. Interne porrigitur potio Riveri, aqua Seidlicensis, similiaque ejusdem effectus remedia. Sin vero morbus statim cum erethismo ingreditur, acida, et ex his praesertim acidum muriaticum et aqua oxymuriatica in decocto althaeae in usum vocatur. Obstipationi alvi continuae clysmatibus emollientibus ex aceto, sapone, et oleo ricini paratis occurrimus. Bouidin (1) affirmat, omnibus remediis laudibus elatis frustra in usum vocatis, optimum ipsi effectum clysmata cum argento nitrico per omnia stadia morbi injecta praestitisse. — Quarto morbi die saepissime jam exanthema in tunica intestinali mucosa erumpere solet, alvique obstipatio nunc subito in diarrhoeam vires aegrotantis cito exhaurientem mutatur. Ubi dolores et meteorismus diarrhoeam comitantur, hirudines, carbo vegetabilis, fomenta cum

(1) Gazette médic. de Paris 1836. Nr. 51.

narcoticis, et unguentum cinereum suo sunt loco. Restat nunc de remedio, quod recentiori tempore Autenrieth et post eum Lesser in hoc morbo commendaverunt, de calomelane scilicet verba facere. Quaeritur igitur, in quo morbi stadio et qua dosi illo cum fructu uti possimus. Experientia nos edocuit, ante exanthematis in ileo eruptionem illud remedium maxime prodesse. Schoenlein prius in omni stadio, serius usque ad finem primi, nunc vero eo morbi tantum initio utitur. Quod copiam attinet, alii dosin granorum duorum binis vel ternis horis, alii scrupuli unius uno haustu sumptam et alternis diebus porrectam praeferunt.

In secundo morbi stadio persaepe molimina critica apparent, quae etiamsi rarissime ad morbum finiendum sufficiant, tamen aptis remediis sublevanda sunt; evanescentibus hisce pseudo-crisibus, febris characterem asthenicum induit, ubi ne ob continuum alvi fluxum summa virium prostratio evadat, medici est et priorem aptis remediis mitigare, ex quibus alumen forma seri lactis aluminati, optimum semper effectum praestabat, et vires pro gradu debilitatis nervinis usque ad

Stadium criseos

quod die undecimo, saepissime decimo quarto vel decimo septimo, rarius vero vigesimo primo adparere solet, sublevare. Quam primum molimina critica conspiciuntur, cutis maxima ratio habenda est, evacuationes enim per cutem maximi hic sunt momenti, quapropter sicca et sordida balneis tepidis purgetur atque emolliatur; laxa vero et in extremitatibus frigida balneis tonico-excitantibus roboretur,

necesse est. Sin calor mordax, sanguinis dissolutio magna, congestiones ad caput et stupor magnus adsunt, superfusiones frigidae totius cutis magnam sibi conciliaverunt celebritatem; valde quoque prosunt sub ipsa exacerbatione, calore nimio excedente, adspersiones totius corporis aqua frigida simplici, aut salita, accurataque exsiccatio. Hae lotiones, seu balnea, seu superfusiones tam diu repetendae sunt, quamdiu cutis siccescit, stupor et deliria redeunt, et cutis constanter humida evadit. Alterum remedium, in stadio criseos valde collaudatum, sinapismi et vesicantia praebent. Atque haecce externa remedia internis quoque congruis subleventur, veluti infuso valerianae cum ammonio acetico, seu succinico, in magna virium prostratione camphora et moscho.

In stadio convalescentiae diaeta sit nutriens; utendum est autem alimento liquido, tenui, sed restaurante, jusculis carnosis, lacte vaccino cum vitello ovi, vinis dulcibus, sive meris, sive aquae immixtis (quae omnia saepius sed parcius largiaris), aëre saepius redintegrato. In magna virium exhaustione, balnea cum carnis sorbitione, malthea et vinis diaetam sublevent. Ceterum hic quoque commemoratu dignum existimo, fere omnibus, qui e typho abdominali evaserint, magnam inesse cupiditatem coitus exercendi, quapropter monendi sunt, ne hac re pernitiosus denuo accendatur morbus.

V I T A.

Robertus Romualdus Czajkowski, fidei cath. addictus, natus sum anno MDCCCIX in villa Szwejkow, in Galicia sita, patre Michaële et matre Constantia e gente Morawski, quibus adhuc viventibus pio laetor animo. Primis literarum elementis in scholis publicis imbutus, Gymnasium Buczaczense, t. t. sub Cl. Directore Radecki florens, per sex annos frequentavi. Testimonio maturitatis instructus Leopoli in alma literarum universitate inter cives academicos receptus sum, studiisque philosophicis absolutis, Cracoviam me contuli, ibique a Beat. Girtler, t. t. rect. mag., in alma literarum universitate Jagellonica civibus academicis et a Beat. Boduszynski, t. t. decano grat. ord. med., numero medicinae studiosorum adscriptus, per quinque annos hisce praelectionibus interfui academicis: Ill. Estreicher de botanice et zoologia; Ill. Zeisner de mineralogia; Ill. Sawiczewski de chemia universali et pharmacia; Ill. Kozlowski de anatomia theoretica ac practica, nec non physiologia medicinali; Ill. Jakubowski et Skobel de pathologia ac therapia generali, materia medica, diaetetica, semiotica, atque formulis rite concinnandis; Ill. Mayer de arte veterinaria, actione et usu remediorum narcoticorum; Ill. Soczynski et Kwasniewski de arte obstetricia theoretica ac practica; Ill. Bierkowski de chirurgia theoretica, akiurgia, ophthalmiatrice, morbis syphiliticis, fasciis rite imponendis atque usu machinarum in chirurgia; Ill. Brodowicz de pathologia et therapia speciali; denique per quatuor semestria in clinico medico ac chirurgico nec non ophthalmiatrico aegros tractavi apud Ill. Brodowicz et Bierkowski.

Anno MDCCCXL tempore autumnali Berolinum discessi, ubi Ill. Lichtenstein, t. t. rect. mag., inter cives academicos et Beat. Osann, t. t. decanus maxime spectabilis, inter medicinae studiosos me receperunt, et disserentes audivi: Ill. Mueller de anatomia pathologica atque physiologia generationis; Ill. Schlemm de anatomia organorum; Exp. Nicolai de politica medica; Ill. Wagner de medicina forensi; Ill. Hecker de historia medicinae; Cel. Romberg de diagnosi morborum pectoris et abdominis ope auscultationis et percussionis, et Ill. Schoenlein de pathologia ac therapia speciali.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, morborum infantum et syphiliticorum interfui virorum Illustrissimorum ac Celeberrimorum: Barez, Busch, Dieffenbach, Juengken, Kluge, Beat. Osann, Romberg, Schoenlein, Wolff.

Operationes chirurgicas in corpore mortuo et ophthalmiatricas docuerunt me Ill. Schlemm et Exp. Angelstein.

Quibus omnibus Viris Amplissimis, optime de me meritis, gratias ago maximas semperque habebo.

THESES.

1. Anatomia omnium morborum naturam fore ut eruat, vix sperandum.
2. Alimentis opportune datis saepe plus proficimus, quam medicamentorum copia.
3. Medicamina prophylaxis causa adhibita nocent saepenumero.
4. Num in casu concreto sectio caesarea, an perforatio sit instituenda, minime parturientium, sed medici esse quaestionem contendo.
5. Materia organica chemice mutata vita exstinguitur.
6. Impotentia superveniens post initum matrimonium causa dissolutionis matrimonii esse potest.
7. Anginam membranaceam, qui cito et tuto sanare vult, is emetica adhibeat, necesse est.